

adhuc liberum viatoribus transitum ad Papam per pontem Tiberis nondum permiserunt. Nam abbatem quemdam de cella S. Petri in Alemannia, a Gebhardo Constantiensium Episcopo, & fratre ejus Bertholdo ad Papam directum, dum per illum pontem, transire vellet, in captione detinuerunt. Hæc de rebus urbanis ipse; qui & de his quæ gesta sunt per Legatum Apostolicum in provinciis, hæc inferius subiicit:

II.
Concilium
Constantien-
se.

Gebhardus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus magnam Synodum Constantiæ in hebdomada majore ante Pascha cum Abbatibus & clericis innumerabilibus, & cum prædictis Ducibus, & reliquis Alemanniæ Principibus canonicè celebravit. Ibiq; multa, quæ corrigenda erant, correxit. Ibi etiam incontinentiam presbyterorum ac violentiam simoniacorum adeo prohibuit, ut etiam populum ab eorum officio sub banno prohibuisset, si ipsi in tali facinore positi contra fas & jus ministrare præsumpissent.

Statuit etiam juxta statuta sanctorum Patrum, ut jejunium Martii in prima hebdomada Quadragesimæ, & jejunium Junii in hebdomada Pentecostes semper celebretur.

Item statuit, ut tam in hebdomada

Pentecostes, quam in hebdomada Paschali tres tantum dies festivi celebrarentur. Nam usque ad illud tempus Constantiensis Episcopus morem Comprovincialium non est secutus, videlicet integram septimanam in Pascha, & unam tantum diem in Pentecoste observando, quamvis utraque septimana ejusdem observationis esse debuerint, & quamvis alii Episcopus pene omnes prædictam constitutionem jam ab antiquo tenuerint. Hæc inquam, ipse in proprio Episcopatu, & ex Apostolica legatione canonicè potuit instituere. Nam Legatus fuit Sedis Apostolicæ per totam Teutonicam terram usquequaque.

Querimonia Præcedis Reginæ, quæ dudum ad Wvelphonem Ducem Italie a marito suo Henrico Rege discessit, ad Synodum Constantiensem pervenit; quæ se tantas, tamque inauditas fornicationum spurcitas, & a tantis passam fuisse, conquesta est, ut etiam apud inimicos fugam suam facillime excusaret, omnesque Catholicos ad compassionem tantarum injuriarum sibi conciliaret. Ibidem petratam controversiam Sigefridi Abbatis enarrat. Atque hæcenus de Concilio Constantiensi.

III.

Rur-

PAGIUS

lum Sancti Angeli adhuc occupabant, Catholici Romæ & in Italia finem hujus intestini belli summis votis exoptabant.

II.
Urbanus
II. recupera-
rat Pala-
tium La-
teranense.

Goffridus juvenis ætate XII. Kal. Septemb. anni superioris Abbas Vindocinensis electus, & ab Ivone Episcopo Carnotensi XI. Kal. eorundem consecratus, ut testatur Chronicon Andegavense Tom. I. Biblioth. Labbei, Romam ad Urbanum II. Guibertinae factionis metu latitantem profectus, pecuniam unde Lateranum, & turrim Crescentiam, hodie Castellum Sancti Angeli dictam, redimeret, contulit, ut ipsemet in Epistola VIII. ad Paschalem II. Urbani successorem data hoc modo narrat: Primo anno, quo, Deo volente vel permittente, nomen Abbatis suscepi, audivi pia recordationis dominum Papam Urbanum in Domo Joannis Franchipani (vel Franchipani) latitare, & contra Guibertum hæresim viriliter laborare. Licet locus noster pauper esset, Romam tamen veni, illius persecutionem & laborum volens particeps fieri, & suam pro posse meo desiderans supplere inopiam: quod & Dei gratia feci. Mala, quæ in itinere & in civitate passus sum, nostrorum per omnia, ne agnosceret, factus famulus famulorum, longum est enarrare. Quasi alter Nicodemus ad dominum Papam in domum prædicti Joannis nocte veni: ubi eum pene omnibus temporalibus bonis nudatum, & alieno ere nimis oppressum inveni. Ibi per Quadragesimam mansi cum illo: &, si fas est proferri veritatem, ejus onera in quantum potui, caritatis humeris supportavi. Quindecim vero diebus ante Pascha Ferruchius, quem Lateranensis Palatii eisdem Guibertus fecerat, per interuncios locutus est cum domino Papa, quarens ab eo pecuniam, & ipse redderet illi turrim, & domum illam. Unde dominus Papa cum Episcopis & Cardinalibus, qui secum erant, lo-

cutus, ab ipsis pecuniam quaesivit: sed modicum quid apud ipsos: quoniam persecutione & paupertate simul premebantur, invenire potuit. Quem ego, cum non solum tristem; verum etiam præ nimia angustia lacrymantem conspexissem, capi & ipse flere, & sens accessi ad eum dicens, ut secum cum Ferruchio iniret pactum. Ibi aurum & argentum, nummos, mulas & equos expendi: & sic Lateranense habuimus, & intravimus Palatium. Ubi ego primus osculatus sum Domini Papæ pedem, in Sede videlicet Apostolica, in qua longe ante Catholicus non sederat Papa. Ita Guibertus ab Urbano II. Petro Leonis, & Abbate Vindocinensi ante Pascha Roma expulsus fuit, ut in Epist. insequenti idem Abbas scribit.

Interim Gebhardus Constantiensis Episcopus in Majori hebdomada Constantiæ Synodum celebravit, de qua hæc Bertholdus a Baronio citatus: Querimonia Præcedis Reginæ, quæ dudum ad Wvelphonem Ducem Italie, a marito suo Henrico Rege discessit, ad Synodum Constantiensem pervenit, quæ se tantas, tamque inauditas fornicationum spurcitas, & a tantis passam fuisse, conquesta est, ut etiam apud inimicos fugam suam facillime excusaret, omnesque Catholicos ad compassionem tantarum injuriarum sibi conciliaret. Porro Gebhardus, seu Gebhardus Zaringensium Dux in locum Ottonis a Gregorio VII. Episcopali honore privati subrogatus fuerat, & Urbani II. in Germania Legatus erat; adversus quem cum Henrico Imper. Arnolfum Comitem de Sancto Monte Episcopum constituisset, gregem suum dimittere coactus fuit circa annum MXCIX. & postea controversia inter Electum & intrusum ipsos XII. duravit annos, ut legitur in Chronico Constantiensi.

III.

Synodus
Constantien-
sis.

A num.